



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Sed an obligat statim post mortale admissum, datâ videlicet primâ  
opportunitate?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

à Deo institutas : tum quia Sacramentum pœnitentiæ à Deo institutum est non solum ad remittendum peccata comissa, sed etiam ad præcavenda & impedienda futura. Ergo Christus voluit, ut peccatores illud sapius in vitâ reciperent. Præterea qui præcipit aliquid nec determinat tempus, vult illud non differri nimis diu, nec expectari tempus extremum.

Obligat verò per accidens seu ratione alterius præcepti. 1. Quoties Eucharistia sumenda est. 2. Quando est medium necessarium moraliter ad superandam tentationem aliquam, vel ad vitanda nova peccata.

*Sed an obligat statim post mortale admissum, datâ videlicet primâ opportunitate?*

*Resp.* Plurimi negant, quia Ecclesia, quæ determinavit præceptum divinum confitendi, obligat tantum ad Confessionem annuam : & aliàs obligando tantum ad semel per annum confitendum, dedisset occasionem transgrediendi præceptum divinum. Quare volunt posse expectari tempus Communionis Paschalis. *Differre Confessionem usque ad hoc tempus (Paschæ) per se loquendo licitum est : sed per accidens potest fieri illicitum, puta si immineat aliquis articulus, in quo Confessio requiratur.* ait S. Thom. quodlib. I. a. II. & Sylvius id confirmat, quia, inquit, Cathecumeni non tenentur ad statim suscipiendum Baptismum. Imò Ecclesia olim vetuit, ne unquam Adulti  
extra

extra casum necessitatis urgentis Baptizarentur, nisi in Vigiliâ Paschæ vel Pentecostes. Alii cum S. Bonav. in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. docent hoc præceptum obligare, quando opportunè potest impleri moraliter loquendo, & major opportunitas temporis: loci, & Sacerdotis ad confitendum expectari prudenter non potest: quia præcepta affirmativa quæ per se sæpè obligant in vitâ, obligant saltem pro temporibus ex prudenti Judicio determinandis. At obligatio præcepti confitendi determinatur prudenter ad tempus, quo opportunè impleri potest, & major opportunitas expectari nequit. 2. Pœnitentiæ Sacramentum est remedium ad peccata tollenda & præcavenda à Christo institutum, ac præceptum. Prudentia autem dicitur remedia, quæ aliquando necessaria sunt, adhibenda esse tum, cum adhiberi opportunius nequeunt, Dicunt autem Ecclesiam non intendisse determinare adæquatè omne tempus, quo præceptum divinum obligat per se, nec dare licentiam differendi, sed solum prohibere negligentiam & dilationem ultra annum, & ideo addidisse in suo præcepto *saltem* semel in anno: sicut etiam cum prohibet, ne quis ultra annum in excommunicatione maneat, non dat licentiam in illâ toto anno permanendi.